

PHILONIS
I V D A E I, S C R I-
P T O R I S E L O Q V E N-
T I S S I M I,

Ac Philosophi summi, lucubrations omnes
quotquot habeti potuerunt, nunc pri-
mum Latinæ ex Græcis factæ,

*Per Sigismundum Gelenium. Addito in fine rerum
memorandarum Indice fœcundissimo.*



L V G D V N I,
A P V D A N T O N I V M
V I N C E N T I V M .

1555.

Eam Montij Senati.

LIBERIA VATICANA

Generoso adolescēti Do-

MINO IOANNI A BALMA
PER ANO R.E. PROTONOTARIO
Sigismundus Gelenius S.



CIO equidem adolescentem generose, ex quo post illos gigantescos conatus diuisē sunt lingue μαρτυρίων ἀνθρώπων, earum cuique suam daram gratiam, ut semper vel barbarum hominem melius intelligamus, libertusque audiamus propria lingua loquentemquam per interpretem. Vertit olim Timaeum Platonis eloquentissimis philosophi librum M. Tullius orator eloquentissimus: sed etiam si hoc opus extaret, nemo qui Graecē scit non mallet illū in sua lingua legere. Fuit tamen superiorum seculorum, post translatum eversumque à barbaris imperio, & vastatam literarum altricē Italiani, tanta infelicitas, ut ne historiæ quidē Romanæ maneret series, fœde interrupta, mutilis & magna sui parte laceris relictis præcipuis eius authoribus. ergo huic & cæteris disciplinis succurrēdum erat propter eos qui latine tantum sciunt, versis sat multis per nostri seculi eruditos voluminibus. mihi sacris profanisque historijs manus admoliri lubuit, quantū potui succisiuis & interdum furtiuis horis in hoc meo viræ genere, quo saxum Sisyphi, vel potius Plautinam molam, iam per decem ferè lustra voluo reuoluimusque, lectione tumultuaria versans Graecos Latinosque codices. Pergetimus igitur quando & nos manum ferulæ subduximus, inventuri aliquos qui haec non fastidiāt, ut sunt varia mortaliū iudicia. quomodo autem ætatem laturi sint hi nostri partus, viderit posteritas, mihi interim patroni eorum querēdi sunt, ne forte sint tam *ut uerbādū*, ut parētem suum relinquāt superstitem. In eorum numero tu adolescentis generose iandudū designatus es animo, ut nihil hactenus præter occasionē defuerit. non possunt enim non exoculari tuum elegantissimum ingenium, quod sub idoneo formatore domino Gilberto Cognato viro doctissimo gnauiter excolis, nec cōtentus imitari viros literatos, etiam epistolijs amatiissimis ad mutuam inuitas benevolentia: quæ omnia mihi optimæ frugis maturæ spem faciunt. Debeo igitur & ipse in hoc virtutis stadio anhelanti alpergere frigidam: & inuenies hic exempla egregia hominū, quos Christus ipse jam tunc ante carnē assumptam colloquio dignatus est, ut Abraham Iacobi Mosesque, & cum primis Josephi in omni ætate omniisque fortuna sui similis, quamuis non desint tibi exempla domestica, quæ so-

PHILONIS IV.
DAEI, DE EA QVAM
MOSES DESCRIPTIT MVNDI
CREATIONE LIBER,
*Sigismundo Gelenio
interprete.*



A E T E R I legislatores partim nullo ornatu adhibito nudum ius præscriperunt: partim ad exaggerandam apud vulgus rem, fabulosis figmentis veritatem prætexerunt. Moses verò utraque ratione posthabita, altera ut rudi ac ignava parumq; decora philosopho: altera ut mendace plenāque præstigijs, per pulchrum ac honestissimum legum suarum fecit initium: neque statim quæ facienda, quæcū non, admonens: neq; quoniā formandæ prius erant mentes accepturorum has leges, affingens fabulas, aut aliorum figmenta recipiens: sed admirandum (ut dicere cœpi) est hoc principium creationem mundi complexum: vt pote cum & mundus legi & lex mundo conueniat, & homo legi obnoxius mox ciuis mundi euadat, dirigens sua facta ad arbitrium naturæ gubernantis hanc rerum vniuersitatem, eam sublimitatem sensuum quibus mūdi creatio traditur, nullus poëta, nullus scriptor laudate queat pro dignitate. superant enim omnem dicendi audiendive facultatem, vt pote sublimiores quam ut mortali quopiam vase possint conuenienter percipi. non tamen ideo cessandum est, sed studio pietatis vel ultra vires audēdum: non ut priuatum afferamus aliquid proprium, sed è multis pauca quadam, ad quæ humanā mentem penetrare fas est, deductam amore ac defiderio sapientiæ. quemadmodum enim colosorum similitudines vel in exiguo exprimuntur anulo: ita fortassis etiā scripturaræ creationem mundi prodentis pulchritudo eximia splendore quodam percellēs lectorum animos, mediocri stilo enarrabitur: si prius admoneantur, quod admoneri operæ pretium fuerit. quidam enim mundum magis admirati quam eius conditorē, hunc quidem non factum aternūmque asseuerant: Deum verò in alto